


95

mandato ejusdem D. Guilielmi tunc Praesidis & Rectoris Generalis super spiritualibus, & temporalibus in dictis Provinciis pro S. Rom. Ecclesia memorata, ipsum Castrum positum, & de novo adificatum & constructum fuerit in solo & loco ubi nunc est & consistit Castrum Durantis, ex hominibus, familiis, personis, & habitatoribus dicti Castrum Riparum antiqui invasi & destructi, ut dictum est supra, qui locus tempore constructionis & adificationis jam dicti Castrum Durantis erat sylva & nemus pro majori parte, & pro aliqua in dicta parte erat terra arativa, & vocabatur Sylva Cereti &c. Ut ut haec sunt, tamen inde non inferitur, Romanorum aeo existisse Castrum Ripense seu Riparum. Equidem L. Holtenii sententia nostrae huic Inscriptioni unice innititur, quam si quis ab omni suspitionis nebulam vindicare studuerit, rem profecto eruditis omnibus gratissimam facturum spondeo, mihiq; in primis, cui Sebastiani Maccii fama cordi quam maxime est.

Quod autem ad Urbinum Metaurense attinet, quam Urbem Cluverius eo loco fuisse credidit, ubi nunc Castrum Durantis existat, illud literatis Viris notum velim anno 1734. ab honestissimo cive Callienti Francisco Mathias, in suo praedio duobus milliaribus citra Oppidulum, quod *Acqualagna* dicimus, secus fluvium *Candiano*, qui alteri *Burano* jungitur plures repertas fuisse inter nobilis, & ornati aedificii ruinas, veteres Inscriptiones, ex quibus Vir omnigenam eruditione spectatus Lucas Antonius Gentili Urbinum ibi Metaurense fuisse conjiciebat. Numismata, statuarum fragmenta, exotica marmora, quae inde Callem transtulit praedii dominus splendidi certe Municipii fidem faciunt; praecipue vero Inscriptiones, quas, quum vulgatae nondum sint, cum eruditis communicare erit operae pretium.



C . LI-